

DISSERTATIO IVRIS CRIMINALIS
DE
P O E N A C A P I T A L I
I N F V R T O H A V D M I T I G A N D A
OB
R E S T I T U T I O N E M R E I A B L A T A E

QVAM
PRAESIDE
VIRO CONSULTISSIMO
G E O R G I O S A M V E L E M A D I H N
IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE
D. VI. DECEMBER. CI CCLVII.

H. L. Q. C.
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITIT
AVCTOR
G O T T L I E B E R N E S T V S L A V
WERNIGERODANVS.

HALAE MAGDEBURGICAE
LITTERIS HENDELIANIS.

31

ІАТАІЯ С АИДО
ДИАДІНІСЧАН ОГУНІЛ

ІАТАІЯ С АИДО
ДИАДІНІСЧАН ОГУНІЛ



054768

LEHRER GABRIEL



§. I.

Finem ultimum esse, cur in societas ci-
uiles coire imperioque communi se se sub-
mittere mortales coacti fuere, ut, non so-
lum iuncto studio obtineant, quod singu-
lorum viribus consequi humanam fere sortem excedebat,
sed etiam contra laesiones aliorum tutius procedere, illatas
que iniurias sine vindictae formidine vlcisci queant, nemo
iuris civilis vniuersalis cognitione superbiens facile ambiget.
Neque tamen optatissimus societatis finis aliis obtineri po-
test mediis, quam legibus, quae reipublicae firmissima
praebent fulcra, quaeque ciues veram necessitatem do-
cent, singulorum actionibus ciuitatis nitorem atque felici-
tatem quantum fieri potest, obtinere, promotamque
conseruare. Sed proh dolor! semel eo res rediit, ut fere

A

qui-

*Instituti ra-
tio explicata-
tur.*

libet proprium apparenſusque bonum commoni felicitati
praeferre nullus dubitet, quo facto vitia in delicta dege-
nerare cœperunt, ſummaque exegit neceſſitas, vt mala
illis proponerentur, quibus in ciuitatis viſcera ſaeuirc
curae cordique eſſe videtur. Inde ortae ſunt leges pœ-
nales, indeque repetenda eſt iuriſ criminalis origo.
Quum apud animum conſtituiffem, ſpecimine quodam
publico prodire, priuquam huic valedicerem academie,
ex criminali iure diſſerere eo magis e re mea eſſe vide-
batur, quo certius in hac iuriſprudentiae parte multa
adhuc ſpecilegia eſſe relicta. Non raro ſingulares obue-
niunt Dd. opinioneſ, atque fere vbiq[ue] deſideratur ge-
nuinum fundamentum, cuius auxilio criminum pœnarum
que indolem diiudicare poſſimus. Quam ob rem prae-
ſens thema eligere, Tuoque B. L. limato iudicio eius tra-
ditionem submittere, nullus dubitaui. Indoles methodi,
quae ad certitudinem efficiendam reliquis praefantior
eſt, hic requirere videbatur, vt varia praemitterem, quae
demonſtrationi mearum propositionum inſeruiunt; non
quod existimen a primis ſemper inchoandum eſſe princi-
piis in demonſtrationibus formandis, ſed quia apud Dd.
iuriſ criminalis altum eſt silentium de principiis genera-
lioribus, ad quae in diſſertatione tamen prouocare fas
erat. Quo enim iure meas theſes, quas in medium pro-
ducturus ſum, ex limpidis fontibus, neglectis principiis
præcipiūs, deriuare potuifsem? Si potiſſima diſſertatio-
nis

nis capita communi Dd. opinioni aduersa deprehendes,
B. L. non nouitatis studio, sed veritatem dicendi ardori
tribuas, etiam atque etiam rogo.

§. II.

Si superior iis, qui ab eo dependent actionum libe- *Legem p-*
rarum regulam dicit, vel simul cum actionibus legi op- *nalium de-*
positis mala consectaria connectit, vel non. Si prius legi *finitio for-*
*sanc>to p>enal>is inesse dicitur, prouti mala consectaria ipsa *matur.**

a superiore cum actionibus legibus contrariis coniuncta
p>enas nominare solent ICti. Quare leges vel sanc>ione
p>enali munitae sunt, vel minus. Priori in casu *legum*
p>enalium, atque posteriori in casu *legum non p>enalium*
nomine veniunt.

Notiones hac ratione evolutae & vsui loquendi inter ICtos sunt con-
formes, & naturam poenarum perspectam reddunt. ICti enim
semper in definitione poenae, quam formarunt, superiorem re-
quirunt, & si dicendum quod res est, hoc etiam vsui loquendi
vulgari responderet; ideoque non quaelibet actionum nostrarum
mala consectaria poenas dicunt. Natura quoque illarum hinc inde
eo luculentius conspicitur, quo certius est, a profunda huius co-
gnitione grauissima iuris criminalis capita dependere. Si malum
quidem consectarium quaedam actio habet, sed non tale, quod
ipse legislator statuit, tunc poena actionem non sequitur. Finge
enim hunc casum. Sempronius, qui a Titio se laelum putat, hunc
ad certamen gladio componendum prouocat, Titius prouocationi
desiderioque aduersarii sui satisfacturus certamen cum Sempronio
fuscepit, ast infelici prorsus successu. Graue enim vulnus illi in-

A 2

figi-



fligitur a Sempronio, ac dolores vehementissimos per aliquot menses sentit. Certe sunt haec mala actionum consecaria, quae vero nemo ICtorum poenas dicit, quamvis forsan ex vsu loquendi corrupto & minus constanti ita nonnulli dicere solent, verum si eterque delinquens a iudice malo afficitur, tum poenas dant, quam Sempronius, quam Titius.

§. III.

*Finis pœna-
rum indica-
tur.* Pœnae sunt mala consecaria cum actionibus legi repugnantibus a superiore connexa (§. praec.) *finis pœnarum adeoque est, ut actiones legibus contrariae omittantur.* Verum si actiones legibus repugnantes eduntur, lex violatur, quam ob rem finis pœnarum est inuiolabilitas legum hinc inde obtainenda. His positis ad intelligendum haud difficile est. 1) *ex inuiolabilitate legum obtainenda pœnarum iustitiam aestimandam esse* 2) *superiorem eo maiores pœnarum gradus & determinare posse & debere, quo magis eius interest, leges ab illo conditas haud violari.*

Valde jejuna est quaestio, virum poenarum proportio sit arithmeticæ, an vero geometrica, magisque adhuc jejunæ deprehenduntur DD. opiniones, si hanc quaestionem exagitant. Saepissime contentionum serra inter eos reciprocatur, virum vna alteraque proportio semper disiunctive in poenis infligendis, aut interdum copulatiue locum sibi vindicare possit. Superuacaneum fore existimo diuersas atque inutiles has Dd. visiones sub examen vocare. Ex Aristotelis latifundiis promanarunt, & iam illas in sumum abire iussit L. B.
DE COCCÆ JI in Jure Ciu. Controu. P. 1. L. 1. quaest. 2.

§. IV.

§. IV.

Leges in statu ciuili vi imperii ciuilis ab imperante conduntur, (per notissima Jur. publ. vniuers. principia), consequenter eandem rationem, qua imperium ciuale absolvitur, in republica habere, manifestum est. Verum imperium ciuale inuoluit ius ciuium actiones securitati & saluti reipublicae conformiter dirigendi, (per eadem principia); adeoque leges in statu ciuili ab imperante promulgatae aptae esse debent ad hunc imperii ciuilis finem obtinendum. *Legum igitur pœnarium & non pœnarium in republica ratio ultima est salus & securitas publica promouenda*, quae ideo utrique legum generi communis dici meretur. Finis pœnarum est inuiolabilitas legum seruanda (§. praec.), sed legum ciuilium ultima ratio nititur salute & securitate publica necessario obtinenda, quare finis pœnarum ultimus in republica non est, nisi salus & securitas publica in hac societate obtinenda atque conservanda.

Legum pœnarium & non pœnarium vna eademque obligatio respectu subiectorum, qui actiones legibus conformare tenentur. Nobis vero in hac dissertatione sermo est tantum de legibus in statu ciuili, quae sub generali nomine legum ciuilium comprehendimus. In hoc significatu sunt leges ciuiles vel *criminales*, vel *ciuiles in specie*, prout vel poenales sunt, vel non poenales. Tantum vero abest, ut fingamus obligationem legum criminalium esse fortiorum, cum sola necessitas actionum lege determinata absoluat obligationem, quae itaque per poenas, neque augeri, nequo minui potest. Firmissi-

mum agnoscimus principium, quo hic vnu sumus ad iustitiam legum poenalium definiendam, eoque neglecto nemo quantitatem mediorum, quae imperans ad sanctitatem legum obtinendam adhibere obligatur, distincte perspicier, quamvis alioquin Dd. iuris criminalis operosa fungantur probatione, poenas esse debere delictis proportionatas. Conf. MOEGLING in Diff. de eo quod iustum est circa proportionem in poenis surrogandis tb. 4. Qui autem principio a nobis exposito calculum adiicere nullus dubitat, eo feliciori ausu proportionem poenarum, quam habent ad delicta in republica obuia, diuidicaturus est, quo solidiorem iam praeeuentem inueniet Ill. Dom. C. W. M. DE BODE in Diff. de acuitate priuilegii odiois & potestate Imperantis circa illud olim sub praesidio Viri Conf. G. B. BECMANNI in Academia Georgia Augusta defensa §. 7-23.

§. V.

*Poenarum
species in-
dicantur.*

Imperans in republica eo maiores poenarum gradus definiturus est, quo magis eius, ciuitatisque interest, leges ab illo conditas non violari (§. III.) hinc varia poenarum genere originem duxerunt, quae inter se gradu differunt, quam ob rem, potiores diuisiones ut explane-
mus dissertationis finis exigit. Poena nimirum est malum consectorium cum actione legi opposita a superiore con-
nexum (§. II.) quod igitur superior vel immediate, vel
mediate cum actione moraliter mala conne~~c~~tere potest.
Si illud, vel in ipsa lege poenali iam specifice determina-
tum est, vel minus. Priori in casu *pœna ordinaria* dici-
tur, posteriori vero exinde cognoscitur *Priuilegium odio-
sum*,

sum, (cuius euolutionem vide apud Ill. Dn. DE BODEN in Diff. §. praec. citata). Si autem Imperans mediate pœnam constituit, vel iudici relinquit eam pro modo actio-
nis facinorosae determinare, vel non. Si prius, *poena extraordianaria seu arbitraria* a Dd. vocatur. Jam vero malum conseſtarium infert priuationem perfectionis adeo-
que pro huius diuersitate etiam differre potest. Quare vel pœna amissionem perfectionis corporis inuoluit, vel non. Priori casu *pœnam corporalem* appellamus, posteriori,
vero, vel diminutionem patrimonii, vel famae priuatio-
nen concernit. Si illud *poenam pecuniariam*, & si hoc *famosam* dicimus. Poena corporalis vel amissionem vitae
naturalis operatur, vel minus. Illo in casu *capitalis*, hoc
vero *corporalis in specie* nominatur.

Poenarum plures quidem laudantur species, quas tamen merito hic
negligendas esse censemus, partim quia dissertationis cancelli ple-
niorem poenarum adumbrationem haud admittunt, partim etiam
ad criminum animaduersionem minus aptae sunt. Quid enim e. c.
poena conuentionis, aut testamentaria ad criminum animaduersio-
nem? Alia quidem Dd. solemnis est diuisio poenarum in civiles
& criminales. Illas dicunt, quae corpus puniendi directe non affi-
ciunt, has vero, quae principaliter corpori delinquentis infligun-
tur, vulgo die an Haut und Haar gehén, vid. BERGERVM in
Ele&J. Jur. Crim. Cap. 1. f. 7. & KRESS. ad C. C. C. art. CXXXVIII.
Sed fundamento destituitur & videntur interpretes verbis abuti-
Plures enim poenae non essent criminales, quas tamen ipsa illarum
indoles ipsumque Jus Carolinum criminum animaduersioni tribuit
e. c. perpetuus carcer, perpetuaque relegatio.

§. VI.



tituli et nulli. III. hunc §. VI.

*Finis poena-
rum capita-
lium nota-
tur.*

Finis poenarum nititur inuiolabilitate legum obti-
nenda (§. III.) quam ob rem *poena id efficere debent, vt,*
aut puniendi ist meliorem viam reducantur, aut ab aliis
in republica ciuibus hinc inde exemplum sumatur. Poenae
quatenus ad priorem finem consequendum aptae sunt,
emendatrices, quatenus verò ad alterum *exemplares* ab
ICTis nominantur. His positis, quid de singulis poena-
rum generibus statuendum ad intelligendum haud diffici-
le est. *Poenae nimirum corporales in specie pecuniariae*
*atque famosae utrique fini satisfacere possunt, capitalis au-
tem semper exemplaris est.*

Vulgo fertur, poenas, quas criminale Jus complectitur, esse aut
emendatrices, aut exemplares & recte quidem, si in genere de poe-
narum qualitatibus sermo est. Sed bene notandum existimo, sae-
piissime poenas utramque indolem sapere, atque poena, quae exem-
plaris est, simul emendatrix esse potest, & vice versa. Quam ob
rem poenae iustitiam gradumque determinatur ad duplex hoc ca-
put attendere deberet. Capitalis autem poenae, quae tantum exem-
plaris est, necessitas intelligitur ex inuiolabilitate legum in ciuitate
seruanda, hincque in exemplo criminum animaduersonis vnicce
subministrando. Aqua multarum adhuc horarum poscenda foret,
si prolixiori commendatione hanc doctrinam explanaturus essem,
binis tantum verbis principia, quibus hic carcere nequeo, expo-
nens. Minime me ceteroquin fugit fulgata poenarum divisio, in
publicas atque priuatas, ultimique generis poenas praesertim apud
Quirites olim maxime frequentes fuisse. Sed in hac dissertatione
eius rationem non habeo.

§. VII.

§. VII.

Singulae poenarum species, sola pecuniaria excepta, in ciuitate infligendae interesse tantum publicum concernunt.

Omnis enim poena (quod per inductionem patet) ex iniurialibilitate legum in ciuitate obtinenda custodiendaque originem duxerunt. (§. III.). Haec autem ex publica salute securitateque dimetienda est. Verum reipublicae interest, ut finis eiusdem supremus, quantum fieri potest, promoueatur, adeoque hanc poenarum necessitatem interesse publicum suadet.

Superuacaneum certe esset, existimo, si hic prolixius disquirere velimus, quid sit interesse publicum priuatumue. Ex iuris publici vniuersalis scientia satis superque patet. Poena de Jure Romana priuata dicitur, quam priuatus lucratur. Qua autem alia ratione poenam lucrari potest, nisi per ipsius applicationem patrimonium illius augeatur. Hoc demum de pecuniaria propugnare possimus & inciuile esset de poena corporali, capitali atque famosa idem statuere.

§. VIII.

His praelibatis principiis generalioribus, quibus carere non potui in adstruendis sequentibus meis propositionibus, ad ipsius thematis discussionem vltro progreendiendum. Quamobrem genuinum furti, eiusque specierum curiosius inuestigaturi sumus, quo de eius poena quam Legislator in hoc delicto pro eius atrocitate sanxit veram sententiam amplecti valeamus. Furtum in

*Transfutur
ad explicacionem fur-
ti.*

B

gen.

Rapina.

gen. nominamus *delictum verum*, quo res aliena aufertur lucri facienda gratia. Usui loquendi ipsique legum linguae haud aduersa deprehenditur haec notio, Vid. §. I. de *obl.* quae ex *delict.* nasc. L. 1. §. 3. D. de *furt.* & C. C. C. art. *CLVII.* Secundum hanc definitionem rapina furti species est. Ablatio enim rei alienae, quam furtum innuit, vel simul sit per vim possessori immediate illatam, vel minus, si prius, *Rapina*, & si posterius, furtum in strictiori significatu nominatur. Hac ex ratione DD. vulgo dicunt, ablationem rei alienae in furto fieri inscio domino cf. *Kress. ad C. C. C.* Engau Elem. Jur. Cr.

Ex definitione furi suppeditata ad intelligendum haud difficile est, quae sint huius criminis requisita, quo pacto illud ab omnibus aliis delictorum generibus discernere integrum est. Dicimus *delictum verum*, adeoque sine dolo & affectu furandi non intelligitur §. 7. *Inst. L. 53. D. furt.* Hinc porro *rei propriæ*, qua propriae furtum non patramus L. 43. D. *ſ. i. D. eod. tit.* Animus denique lucri ex re ablata faciendi in fure requiritur, adeoque qui tantum nocendi vexandie caussa abstulit, furti reus non est L. 5. *ſ. vlt. L. 53. pr. D. eod. tit. & L. 41. D. ad L. Aquil.* Rapinam quoque ipsius furti speciem esse, ipsa eius indoles manifestum reddit, & geminatum merito delictum habetur, conflatum ex ablatione rei alienae, & ex vi iniusta possessori immediate illata. Qua ex ratione olim Jure Romano aduersus raptorem praeter actionem vi bonorum raptorum alia quoque concedebatur actio furti, tam manifesti, quam nec manifesti, teste Imperatore pr. *J. de vi bonor. rapt.* PAVLO in L. i. D. *eod. tit.* ULPIANVS in L. 5. *ſ. vlt. & RAPINIANO*

ina

ni L. 80. §. 3. D. de furt. Cum vero rapina violenta ablatione se potissimum a furto in strictiori significatu distinguat, rationem reddere possumus, cur hodie in statuenda poena raptorum ad pretium rei ablatae prorsus non attendatur. Conf. KRESS. ad C. C. C. art. CXXII. §. 2. BERGER. in Elect. Jurispr. Crim. cap. 2. membr. 1. §. 23.

§. IX.

Delictum dicitur *capitale* quando poenam meretur capitalem. Jam vero, quamuis secundum Jus Roman. furtum non delictum publicum fuerit, adeoque nec tale, quod poena capitali coercendum erat, tamen utique in Germania iuxta Jus Carolinum & Leges antiquiores ex rationibus satis firmis ipsis sancta est sanctio poenalis publica. Et si ad Nemesin Carolinam aduertimus, quinque furti genera mortis poena animaduertenda esse, iussit Imperator. Hinc diuisio maxima certe utilitatis oritur inter furtum qualificatum, & simplex. Furtum nimurum vel eiusmodi circumstantias complectitur, ob quas delictum hoc capitale esse solet, vel minus. Priori in casu furtum *qualificatur* in gen., posteriori simplex dicitur. Jam vero vel talis circumstantia, quae capitale hoc crimen reddit ex quantitate rei ablatae quinque florenos solidos excedente mergit, vel non. Si prius *Furtum magnum*, & si posterius, vel circumstantia istiusmodi generis in eo latet, quod fur iam antea bis furatus sit, vel non. Si illud *Furtum tercia vice repetitum*, &

*Species fur-
ti secundum
Nemes.*



si hoc *Furtum qualificatum in specie seu periculosum*, vulgo enim *gefährlicher geflissener Diebstahl* appellatur. C. C. C. art. CLIX. Huius periculosi furti ab Imperatore tria in citato art. laudantur genera, quorum *primum* est, si furtum cum effractione receptaculi rei ablatae coniunctum, *secundum* si fur cum ascensione ex alto in aedes penetrat, *tertium*, si idem armis lethiferis furti patrandi causa summis aedes ingreditur.

Qualificatum furtum vulgo in strictiori significatu venit, ita ut furtum tertia vice repetito, & magno contra distinguatur; verum, si dicendum, quod res est magis denominationis indoli conuenit, si quando furtum qualificatum omne dicitur, quod capitis poenam sequitur, sic ut simplici contra ponatur. Hac ex evolutione luculententer constare credo, quod furtum primum & secundum, si rei furtivae verum primum quantitatem quinque solidorum haud exceedit, tantum inter simplicia furtu numeranda sint. Differentia quoque, quae inter rapinam & furtum periculosum intercedit, collata vtriusque definitione facilis negotio conspicua redditur. Vis ablativa utique quidem communis est, atque in furto periculo etiam bona laesi respicit, verum in rapina non nisi mediate omnino & possessori principaliter infertur. Sed ardua inter DD. exagitatur quaestio, vtrum rapina in aedibus commissa simul periculosum furtum dicendum, qua poena illud animaduertenda sit, an poena gladii aut suspendii? KRESSIVS, l. c. ad art. 126. optimus ille Nemesios interpres anceps quidem in definienda hac specie, poenam suspendii praferendam censet gladio, fortasse ex ea ratione quod furtum atrocius sit delictum atrociorumque mereatur poenam. BERGERVS autem in El. Jur. Crim. cap. 2. memor. 1. ff. 23. coniungit.

iunctum hic vtrumque delictum statuit & cum cARPZOVRIO iudicis relinquit arbitrio, an poenam gladii cum impositione rotae, aut suspendium irrogare malit. Perutilis quidem controversae huius sententiae esset discussio, qua, tamen hic pro BERGERI sententia ceteroquin prioniores angustis limitibus circumscripsi supersedere fas est.

§. X.

Furtum qualificatum cum suis speciebus tales circumstantias complectitur, ob quas hoc delictum capitulo est (§. praec.). Verum poena capitalis tantum interesse publicum concernit (§. VII.) adeoque poena in furto qualificato vnicē ob laesam salutem securitatemque, in republica necessario tamen obtinendam statuta est. Qua ex re extra omnem prorsus dubitationem est, hanc poenam nihil plane respectus ad interesse laesi inuoluere. Cum autem bonus Princeps non statim ab atrocioribus poenis infligendis initium facturus est, sed a gradu poenarum ad gradum potius ascendit, poenamque ideo capitalem in diliectis, aut leuioribus, aut non ita frequentibus haud irrogat; sane est, ut rationes perpendamus, quibus Legum Criminalium latores eo perduci, ut infures tam rigorosum sistant iudicium. Et rerum gestarum monumentis rot gentium tot rerum publicarum facile monstraria posset, si copiosam dissertationem exhibere mens esset, nimis frequentes in plurimis terris Europaearum gentium semper pessimorum hominum greges praedio-

*Quae poena
in furto
qualif.*

rum expilandorum gratia consociatos fuisse, poenasque illas quibus antiquiores gentes furta quondam coercebant, minus suffecisse ad proritum alienam tam nefando opere habendi refraenandum. Hisce rationibus compulsi plurimi Legislatores in furta pro variis earum circumstantiis poenam capitalem constituerunt, & suspendium, poenam insuper maximam infamiam adspergentem, ceu obicem posuerunt, quo magis subinde ista poena apta esse videbatur terrorem bonorum alienorum contrectatoribus incutiendo. Quare mirum non est, cur Imperator Carolus V. in sua constitutione criminali in quinque furorum genera, supra iam laudata poenam suspendii dicere necessarium duxerit. Tantum autem abest, vt haec poena nimis dura dici possit, vt potius manifestum videamus, in viua atque quotidiana experientia saepissime furta fieri, ita vt poena haec, licet fatis atrox, consuetudinem inueteratam rapto viuere penitus haud extinguere potuerit. Nec eandem poenam in quolibet furto statui, sancxit IMPERATOR sed vtique ad grauiores circumstantias, quibus crimen hoc patratur, in definiendo ultimo supplicio respexit. In furto nimirum periculoſo secundi & tertii generis simpliciter poenam patibuli dixit art. CLIX., cum primum genus furti qualificati in specie talis non absolute capitali esse videbatur. Ex art. enim cit. per verba oder sonst nach Gelegenheit der Person und Ermessung des Richters, in andere Wege mit Ausstechung der

der Augen, oder Abhauung einer Hand oder einer andern dergleichen schweren Leib-Straße gestraft werden soll, Imperator aperte iudicis arbitrio locum concedit in definienda poena extraordinaria. Acriter igitur inter DD. disputatur, quaenam furti periculosi species interdum a rigore poena ordinariae eximenda sit? Non dicam de quorundam mitigantium temeritate, qui vnam alterumue occurrentem circumstantiam plane insufficendem esse censem ad poenam laquei infligendam, coniunctasque semper requirere Imperatorem, si fur vltimo tantus suppicio. Etenim ex ipsius Imperatoris oratione in cit. art. refellitur cerebrina haec aequitas, dum sacratissimus Legislator per formulam disiunctiuan omnem penitus excluderit dubitandi rationem. Sed in furto quod cum effractione receptaculi coniunctum est plurimi distinguunt inter vim violentam, & minus violentam. Priorem ad patibuli poenam statuendam requirunt, posteriori autem in casu extraordinaria coercendum crimen perhibent. Neque hoc menti Caesaris aduersatur, quippe qui vtitur, vocabulis in seine Behausing oder Behaltung bricht, quae secundum proprietatem verborum in vernacula nostra de violenta effractione tantum accipienda esse, reor. Furtum autem tertia vice repetitum ex sanctione poenali Carolina simpliciter capitale esse secundum art. CLXII. constat, modo res furto surrepta alicuius tantum pretii sit quantitatatem tamen quinque solidorum non absoluens. Equidem

dem KRESSIVS in not. 2. ad hunc art. cum centum aliis
 etiam hic quantitatis furti magni habendam esse rationem,
 vrget argumentis specie sua non destitutis. Verum ausu
 frustaneo; spurium enim censendum est principium, quo
 tamen subnixa est tota haec doctrina, *quantitatem ni
 mirum furti inspectionemque, quam noxium fuerit laeso
 furtum cum iure naturae, tum quoque ex mente IMPERA
 TORIS unicum & genuinum fundamentum ad poenas fur
 torum definiendas constitueret.* Si enim haec rationes poe
 narum maxime capitalium fundarent, non diffiterer,
 crudelem imo immanem capitalem esse poenam, illam
 poenam, qua homo ob rerum ablationem vita priuatur.
 Quae scilicet proportio inter rerum pretium & vitam hu
 manam sumenda est? Certe Imperator rationes sanctio
 nis suae poenalis ex fonte magis limpido haurit, in ipso
 cit. art. per verba ein mehrer Verleumbder Dieb, und
 auch einen Vergewaltiger gleich geacht satis luculenterque
 expressas. Furti magni vero poenam non semper capi
 talem esse, iusit Imperator, sed pro modo circumstantia
 rum, vel hoc suppicio, vel extraordinaria poena coer
 cendum statuit. In toto enim art. CLX. intentiori cura
 iudici varios bene diiudicandas circumstantias commen
 dat, sequenti oratione. So aber der erste Diebstahl groß
 und fünf Gulden, oder darüber werth wäre, und der Um
 stände, so den Diebstahl, wie oben davon gemeldet ist
 (nempe in art. CLIX. vbi species periculosi furti exhi
 bet)

het) beschweren, keiner darbei erfunden wird, aber dennoch angesehen die Grösse des Diebstahls, so hat es mehrere Straffe, denn ein Diebstahl der geringer ist. Und in solchen Fällen muß man ansehen den Werth des Diebstahls, auch ob der Dieb darob berüchtiget oder betreten sey. Mehr soll ermeissen werden den Stand und das Wesen der Person, so gestohlen hat, und wie schädlich dem Beschädigten der Diebstahl seyn mag und die Straf darnach am Leib oder Leben urtheilen. Und dieweil aber solche Ermessung in Rechtsverständiger Leut Vernunft steht, so wollen wir daß in solchen jetzt gemeldeten Fall, so oft sich der also begiebt, die Richter und Urtheiler bey den Rechtsverständigen, und an Orten und Enden, wie h今 nach gemeldet wird, Raths pflegen mit Entdeckung der berührten Umstände, und nach solchen erfundenen Rath ihr Urtheil geben. Wo aber der Dieb zu solchen Diebstahl gestiegen, oder gebrochen, oder mit Waffen als vorstehet gestohlen hätte, so hätte er damit wie oben stehet, das Leben verwürcket. Ex intuitu huius articuli facillimo prorsus negotio confidere licet, I) furti magni poenam maiorem esse, quam in furto simplici seu paruo, tum primo vel secundo, II) in hoc furto respiciendum esse ad rei ablatae valorem, III) ad statum vitaeque genus furis & IV) quantum damni laeso per furtum illatum sit. His rite perennis iudex criminalis demum, aut poenam capitalem, aut corporis afflictuam irrogare debet. Si itaque quaestio

C



stio oritur quando furti magni reus ultimo sit suppicio afficiendus; sic tenendum existimo: *Si fur est iustae aetatis l. c. ubi doli malitiaque capax est, vitae haud probatae, ad minimum quinque solidos usque furatus, atque ex hac ablatione laesus ingens sentit damnum, tum eius gula laqueo frangenda erit.* Quoties vna alteraue harum circumstantiarum deficit, toties alia poena corporis afficitua locum sibi vindicabit. Non igitur sola quantitas rei furtiuae quinque solidos excedens ad hanc poenam sufficit, sed requiritur, vt ex hoc rei surreptae magno valore damnum haud leue, i. e. non modicam patrimonii imminationem persentiscat laesus. Copiosus sane disputandi materiam furtum magnum subministraret, praesertim, si tam dissonas interpretum Nemeseos sententias opinionesque sub examen vocare, cancelli dissertationis admittarent. Quare nunc ad sequentia transeundum est: argumenta vero, quae obmoueri nobis possint infra discutienda obueniunt.

§. XI.

Quando pena mitigari dicatur. Si delictum commissum ad Legem poenalem exigitur, vel omnes quoque circumstantiae in illo obviae, quas Legislator delineauit, si determinata poena infligenda est, vel non. Posteriori in casu poena in lege expressa locum iam in puniendo hoc crimine sibi vindicare nequit, mitiorque ideo substituenda erit. Hoc igitur quando iudex committit, tum *poenam illum mitigare*, dicimus. Cum enim

enim delicta leuiora poenam leuiorem, atque gratiiora quoque atrociora poenam merito sumant, & poenae infligendae illarum fini satisfacere debeant, prorsus citra pulueris iactum intelligimus, *poenam ordinariam*, ut *exemplaris*, vel *emendatrix* sit, *mitigationi obnoxiam*, *quoties vnum alterumue requisitorum deficit, quae Legislator in eiusmodi delicto adesse assumit, quod poena ab illo ipso determinata animaduertendum esse, iussit.*

Mitigationis notio alia quidem plerumque ratione a DD. formatur, illaque iterum in mitigationem iustitiae & gratiae distinguitur. Illam iudici, hanc vero imperanti solum accensent. KRESS. ad CCC. art. BERGER. in suppl. ad Elec. iur. Crim. Part. i. Obs. 8. & Exc. HEISTER. in Diss. de iustis poenam mitigandi causis in criminibus ff. X. & XI. Quamuis enim res ipsa fundamento vix deficiatur, rerum indoli tamen conuenientibus esse existimo, si ipsam aggratiationem a mitigatione penitus secernamus. Superiori enim semper integrum poenam promeritam ex idoneis rationibus condonare, quantumuis secundum legis criminalis rigorem crimen obuium puniendum, ipsaque iam sententia condemnatoria subsecuta fuerit. Verum iudici nihil eiusmodi indulgendum. Eius est leges criminales ad facta facinorosa secundum mentem Legislatoris applicare, nullamque ideo mitiorem poenam statuere, quam criminis circumstantiarum indoles, atque voluntas sui Imperantis patitur. Id lubenter concedo, quod in arbitrariis, sive extraordinariis poenis dicendis regularium iustitiam & proportionis poenarum rationem habere debet, sed runc index neutiquam mitigaturus est, quippe cui in his speciebus poenae a Legislatore non praescriptae sunt. Caeterum ulterius in hac doctrina occupari non est animus,

& digressiones omnes eo libentius omitto, quo copiosius de harum mitigationum indole iam differuit V. C. HEISLER in Diff. cit. §. XII. seqq.

§. XII.

*Restitut. rei
furt. caus.
mitig. non
esse.*

Quum hactenus pro instituti nostri ratione satis poenarum capitalium finem §§. ant., ipsarumque furti qualificati specierum indolem perpendimus, ad ipsius controversiae enodationem properandum est. ICri ad vnum fere omnes poenam furti capitalem mitigandum ob restitutionem rei furto ablatae, illamque in arbitrariam commutandam esse, docent. Verum rationibus argumentisque, quibus DD. ad propugnandam communem hanc sententiam vtuntur, rite perspectis, in omnia alia nobis eundum est. Quare ipsam nostram, quam defendimus doctrinam prius ex legitimis principiis probaturi, & deinde ad argumenta contra dissentientium responsuris sumus. Restitutio enim rei furtuae si contingit, vel prorsus spontanee fit, & antequam furti auctor indiciis grauatus in inquisitionem generalem prolabitur, vel minus. Priori in casu poena furti alioquin capitalis remittenda quidem est, sed minime propter solam rei ablatae restitutionem poena infligenda labefactatur, quippe furtum non plene consummatum est, adeoque poena a Legislatore sancita irrogari nequit. In hac nimirum specie saltim aliqua ex parte cessat animus lucri faciendi ex re surrepta, cum contrectator ex tempestiuia poenitentia ductus vero possessori reddit res, quas illi antea auferendi animus

animus erat. Manet quidem delictum arbitraria interdum pro aliarum circumstantiarum discrimine coercendum, furti autem omnia constitutiva non habet, adeoque eius poena haud animaduertendum erit. Huius igitur restitutionis rei ablatae rationem in hac dissertatione non habemus. Si autem furtum plene consummatum dicendum est, & inquisitione debito modo peracta, de poena furi applicanda quaestio oritur, tunc rei ablatae restitutio mihi insufficiens videtur ad poenam ordinariam, reliquis tamen circumstantiis obuiis, quae eam innuunt, mitigandam. Restitutio enim rei ablatae, vel reparatio damni, quod alter inde perpessus est, satisfactionem laesif vnicet absolvit, nec aliud quidpiam in se continere potest. Finis vero poenarum maxime capitalium exigit, ut transgressores propter salutem, securitatemque violatam malis afficiantur (§. III.). Qui igitur per satisfactionem priuatam laeso praestitam neutiquam tollitur; consequenter extra dubitandi rationem positum esse, coniicio, hanc rei ablatae restitutionem iustum poenam ordinariam mitigandi caussam haud constituere. Accedit praeterea in poenis capitalibus, quod mere exemplaris sint (§. VII.) adeoque eadem semper efflagitat ratio, ut exemplum atrox rigorosae horum delictorum animaduersionis praebatur, licet vel maxime laesus per restitutionem rerum furto ablatarum, aut per aliam damni perpessi reparationem suum iterum recuperauerint. Quamobrem non satis mirari possum DD. eam sententiam admittere, quae tantum

diuortium a genuinis Legum criminalium rationibus,
 veraque Juris analogia arguit. Sane si leges Romanorum
 in rospicimus, res nullis prorsus dubiis inuoluitur. Ma-
 nifeste ibi in furto conceditur actio poenalis, etiam si lae-
 sus rem surreptam receperit. Ita enim **ICTUS CAIUS in**
L. 54. §. 3. D. de furt: cum furti actio ad poenae persecu-
tionem pertineat, condicō vero, & vindicatio ad rei recu-
perationem, appareat, recepta re nihilominus saluam esse
furti actionem, vindicationem vero, & condicōnem tolli,
sicut ex diuerso post solutam dupli aut quadruplici poenam
salua est vindicatio & condicō. Quamuis igitur apud
 Romanos ipse auctor poenam lucraretur, inconcinnum ta-
 men iis videbatur, vnam actionem altera tolli, adeoque
 tanto magis in Germania, vbi nunquam priuatum deli-
 ctum fuit, poena a legibus statuta infligenda est, etiamsi
 restitutio rerum surreptarum sit, aut verum earumdem
 pretium refunditur. Ad hanc semper iam ipso iure obli-
 gatus est fur si in bonis adhuc superest, aut res furtiva
 apud eum eiusque familiam concipitur. Ex rationibus
 quoque ipsius sanctionis poenalis, qua **IMPERATOR** quin-
 que furti genera capitalia esse iussit, luculenter manifestum
 est, quare **IDE M** delictum hoc morte expiandum esse,
 necessarium duxerit, quae partim in eo latitat, vt Res
 publica a pessimorum hominum colluie purgaretur,
 partim, vt alii cines horrendum exemplum inde capiant,
 atque crimen istiusmodi generis tanto cum dolo tantaque
 mali.

malitia coniunctum fastidian ac exsecrentur. Haec omnia per restitutionem rerum furtuarum non tolluntur, adeoque, quamvis ea subsecuta sit, rigori poenae capitalis utique adhuc locus concedendus est. Certe **VLPIANVS in L. 65.** D. de furtis eandem fouere videtur sententiam, & omnino si secundum Jura sui temporis delictum hoc publicum atque capitale fuisset, diserte illum quoque propugnasse, censendum est, furtum manere capitale, etiam si bona ablata ad verum dominum rediissent, nulla que ratione illud hinc inde degenerare in crimen mitius puniendum. *Qui ea menta alienum quid contrectauit,* inquit ille l. c. *vt lucri faceret: tametsi mutato consilio, id domino postea reddidit;* FVR EST. Nemo enim tali peccato poenitentia sua nocens esse desit. Neque, si dicendum, quod res est, ipse **AVGVSTVS** contrarium sanxit in sua Nemesis, quantumuis DD. ex communi sententia verba imperatoris in art. CLX. wie schädlich dem Beschützten der Diebstahl seyn mag, vel maxime ita interpretentur, vt exinde probare velint, restitutionem rei ablatae iustum exhibere caussam, vi cuius poena ordinaria alioquin capitalis nunc remittenda esset. Verum longe alienam esse hanc interpretationem a mente Caesaris, iudico. In cit. enim art., prouti §. X. monstratum est, furti magni qualitatem poenamque definiturus est. Inter alia duo constitutiva ad hoc furti genus requirit Imperator I), valorem rei furto ablatae quinque solidos exceedere

D

II),

II), laesum exinde magnum sentire damnum. (§. cit.). Quare quidem Legislator ad magnitudinem damni in statuenda hac poena simul respicit, sed illa solum ex ratione, qua iudex disquirere possit, utrum atrox hoc delictum sit, omniaque furti magni requisita habeat. Quantumuis igitur deinceps res tali furto ablata laeso restituatur, tamen utique furtum, quod semel magnum erat, non definit magnum esse. Et enim si crimen commissum, iudicis est, delinquentem ad poenam promeritam sustinendam condemnare & laeso auxilium ferre in reparando damno, quod sentiit. Hisce igitur positis, quae natura delictorum poenarumque exemplarium rationes iubent, facili prorsus negotio intelligimus, restitutionem rei furtivae eo minus in reliquis furti capitalis speciebus non sufficere ad mitiorem poenam irrogandam, quo grauiores ibi manifestantur circumstantiae, poenam capititis exposcentes. Id lubenter concedimus, si ordinationes criminales in Provinceis passim mitigationem ex hoc capite introduxere, tunc omnino rigori huius poenae derogatum esse. Sed iam dum de Jure communi ac Carolino nobis sermo est.

§. XIII.

*Rationes
dissentienti-
um allegan-
tur.*

Quae iure Carolo statuta est de furibus, ultimo suppicio afficiendis sanctio poenalis, eam infinitae interpretum limitationes, & restrictiones infirmarunt, & debellarunt, ut ad paucissimos sane applicetur mortis poena, atque

adque ideo haec poena, quam facile effugere credunt, malevolis nullius plane terroris; ita ut iam LEYSERVVS spec. 536. med. 13. 18. conquestus sit de iniusta in fures indulgentia, misericordiaque intempestiuā. Quam ob rem non ex Legislatoris voluntate, sed ob ICtorum auctoritatem sententiam repugnantem ysu forensi firmatam vide-mus. Verum tantum abest, ut haec nimia interpretationem auctoritas iudices constringere possit interpretationem amplecti, quae indoli necessitatique poenarum exemplarium contradicit, ut potius eorum officiis consentaneum esse dicendum sit, menti Imperantis, cuius nomine in criminis animaduertunt, conformen legum poenalium applicacionem suppeditare. Quare nostrum esse iudicamus, priusquam dissertationi colophonem imponimus binis tantum verbis DD. rationes sub incudem vocare. Illas plena manu in medium protulerunt Duumviri celeberrimi FER-DINANDVS AVGVSTVS HOMMEL, cuius masculam in Jure scientiam alioquin merito suspicio, in diss. de *mitiganda furti poena ob restitutionem rei ablatae*, & JACOBVS FRIDERICVS LVDOVICI in diss. de *restitutione rei furtivae cap. II.* Palmarium quo vtuntur argumentum est, quod ducant ex sua interpretatione art. CLX. Constitutionis Carolinæ, & quidem ex verbis, mehr soll ermessen werden der Stand, und das Wesen der Person, und wie schädlich dem Beschädigten der Diebstahl seyn möge C. C. Concludunt inde, *sicut restitutione satisfactum esse*

esse laeso, ipsique furtum amplius non damnosum, ideoque
 poenam capitalem cessare, & in aliam commutandam esse
 H O M M E L l. c. §. 6. & L V D O V I C I l. c. §. 2. Sed totum
 prorsus argumentum concidit, si consequentia negatur.
 Ex rationibus enim indubius eiūstum esse, confido, §. VI.
 & VII., poenam capitalem exemplarem esse, publicum.
 que tantum interesse concernere. Ex inuersa igitur ratio-
 ne argumentari licet; vbiunque in crimen puniendo fini
 poenarum reique publicae laesae nondum satisfactum est,
 ibi non cessat poena publica, atque capitalis; atqui per re-
 stitutionem rei ablatae fini poenarum & reipublicae violatae
 nondum satisfactum est, consequenter etiam non potest ces-
 fare poena publica, sed secundum legum poenaliū rigo-
 rem infligenda est. Vtiusque antecedentis propositionis
 veritas primis Juris Crimipalis principiis sufficta est, qua-
 re etiam in diuersis prouinciis legali sanctione definitum
 est, poenam ordinariam in quibusdam furti speciebus ni-
 hilominus locum inuenire, quantumuis res furto ablata
 restitutio facta sit, e. c. in furto equorum in terris Brun-
 suico-Luneburgicis, vti Illustris G. L. B O E H M E R , ve-
 rum Georgiae Augustae decus exhibet in splendido ope-
 re de abigeatu & furto equorum c. 3. §. 104. Hanc ob-
 caussam etiam in Saxonia Electorali Constitut. 32. disposi-
 tum offendimus, ablatae rei restitutionem ad mitigandam
 poenam tum demum vtilem esse, si restitutio ex vera fu-
 ris poenitentia & ante inquisitionem motam contingit.
 Optandum sane esset, hanc sententiam in omnibus Germa-
 niae foris vsu receptam esse. Jam reliqua, quae obmoueri
 possent dubia, & itidem ex principiis ante stabilitatis discu-
 tienda forent, ob abitum improviso accelerandum reseca-
 bimus, & scriptum, cuius fines vltro ponere constitu-
 tum erat, hic terminabimus.

05 H 768

ULB Halle
004 227 875

3





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-264149-p0032-5

DFG

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DISSERTATIO IURIS CRIMINALIS

DE

POENA CAPITALI
IN FVRTO HAVD MITIGANDA
OB
RESTITVTIONEM REI ABLATAE

QVAM

PRAESIDE

VIRO CONSULTISSIMO

GEORGIO SAMVELE MADIHN

IURIS VTRIVSQUE DOCTORE

D. VI. DECEMBER. CICLO CCLVII.

H. L. Q. C.

PUBLICAE ERUDITORVM DISQUISITIONI SUBMITTIT

AVCTOR

GOTTLIEB ERNESTVS LAV

WERNIGERODANVS.

HALAE MAGDEBURGICAE

LITTERIS HENDELIANIS.

33